



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

47. Epistola D. Dorat Archipresbyteri Aquensis ad D. la Borde.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

tuae Beneficarijs vexandis, prætextu juris Metropolitici, tuæ Pastoralis sollicitudinis, & spectatæ constantiæ partes erunt, Te, tuamque Ecclesiam adversus eorum attentatæ Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum ope armis defendere. Ad Nos enim quod pertinet, omne tibi à Pontificia autoritate, & à paterna charitate Nostra præsidium polliceri debes. Tibique Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Julij 1680. Pontificatus Nostri anno quarto.

Marius Spinula.

Documentum XLVII.

Epistola Domini Dorat Archipresbyteri Aque-
fis ad Dominum la Borde.

NOtandum est, Clericum quemdam, nominatum la Borde, ab illustrissimo Episcopo Apamiensi (qui nunquam induci potuerat, ut illum ad sacros Ordines promoveret) Romam missum esse, ad curanda Diecepsis negotia, quò jam Dominus Dorat ejusdem Episcopi jussu pervenerat, Sacerdos plenæ exploratæque probitatis ac prudentiæ. La Borde, Episcopo Apamiensi jam vita functo, Romam Parisios discessit consilijs quorundam permotus, simulque libellum mendacijs ac calumnijs refertum Aulæ obtulit, eodémque tempore non erubuit Domino Dorat scribere, se conscientie stimulis adactum, & pœnitentiâ eorum, quæ contra Regaliam unctis cum eodem Dorat consilijs exercuerat, Romam egressum, Regiamque Clementiam, à qua ve-
niam

niam speraret, appellâsse, atque, ut Dorat idem faciat, vehementer hortari. Ad hanc epistolam Doratus sequentem in modum respondit:

*Amice ad quid scripsisti? Vestras decimo quarto Martij exaratas, quo tempore Christi Redemptoris nostri Passionem recolimus, ritè accepi. Fateor enimverò quæ Romæ, non quidem ea, quæ mecum in causa Regaliæ, sed quæ clam me secretò agitâstis, vobis meritò horrore esse. Illud quoque verum est, nec à me negari potest, cum dicitis, vos spe veniæ consequendæ ad nova consilia permosos esse; quamquam illud potiùs dici oportebat, vos vid. spe præmij consequendi, quo labores compensarentur pro Ecclesiæ juribus & libertate suscepti, invitatos esse; quippe vobis animus non fuit, pro Ecclesia militare, postquam armari contra vos mundum experti estis. Priùs enim, cum nondum tempestas defeviret, adeò Regaliam detestati estis, ut eam in epistola ad Illustrissimum Episcopum Apamiensem 18. Septembris anno 1678. Parisijs data *suu imaginarium appellaretis, imò tam injustum, ut etiam juvante Episcopo ei promovendæ numquam animum adjicere, Vestrisque operam locare sustineretis; & adjecistis: Optare quidem vos, ut Regi citra culpam obsequi liceret, sed rem esse tam evidenter injustam, ut instrumentum esse nolitis ei protegendæ. Et in eadem epistola Vos ita Regaliam sectari ostenditis, ut eam improbetis quidem, nec tamen eam deserendi animus viris suppetant, sed similem captivo esse, servitutem aversanti, sed viribus destituto, quibus laqueos abrumpat. Et palmariam causam, quæ vos Regaliæ devinicat, adjungitis, vid. quia alioqui non essetis amicus Cesaris. Et in alia epistola vigesima septimâ Augusti data: Tertiâ jam vice expertos Vos esse dicitis, nemini ad Regem aditum permitti, nisi qui animo veniat**

niat

Uia
 edicata
 Ca. III
 230

niai, omnia quæ ab illo sunt, collaudandi approbandique: & ipsi quoque Sorbonæ Doctores iustissimam credere Ecclesie causam, ne id tamen scriptis testentur, metu prohiberi. Hæc tunc quidem Vobis sententia fuit, non animo tantum, sed etiam calamo expressa, parvâ licet Regiæ Majestatis reverentiâ; at verò ubi mortuo Episcopo Apamiensi ex una parte mortuas quoque spes Vestras credidistis, ex altera metus & pericula se ostentârunt, tunc enim verò sepelita fiducia, quam in Deo collocare oportebat, veritique familia Vestræ paupertatem, nec aliâ ratione inducti, quàm spe amplioris fortunæ, Conscientiam, Episcopum, Ecclesiam, Vestrosque Amicos deserere statuistis, imò Regis ipsius causam; quippe qui Vestris imposturis calumniisque id solùm egistis, ut Eum veritatem celaretis, utque gratia apud illum exciderent, qui & Conscientiæ & honoris titulo multò magis quàm vos Ejus obsequio adstricti sunt, quique & in hoc, & in prosequenda Ecclesie causa nullum aliud sibi præmium ante oculos ponunt, nec deinceps ponent, Divinâ favente gratiâ, quàm illud unicum, ut Deo vid. placeant. Revocate in memoriam, non prius Vobis alias cogitationes, aliâmq; sententiam susceptas esse, quàm ubi advertistis, noluisse me cooperari, ut Beneficio, ad quod aspirabatis, potiremini; memineram enim, Illustrissimum Apamiensem sapè & me, & alijs coram palàm professum esse, Vos ad vitam Ecclesiasticam minimè vocatos esse: quæ etiam causa fuit, ut numquam induci potuerit, ut Vos, quamvis per ætatem liceret, sacris Ordinibus initiaret. Hic quidem fama percrebuit, Vobis eum honorem contigisse, ut ad Regis alloquium admittamini: quod si verum est, vereor, ut si oculos in faciem Vestram conjecerit, pro mirabili, quam à Deo accepit, sagacitate, continub agnoverit,

agnoverit, nullam verbis vestris se posse fidem adhibere. Maluisssem equidem pro amore, quo vos complector, hæc omnia æterno silentio involvere, sed tam multa à vobis veritati adversa & scripto, & facto prolata sunt, ut me coegerent veritatem, quam aliàs celatam cuperem, palàm edicere. Libellus, quem, uti scribitis, ad Regem dedistis, & hic ad Eminentissimum Cardinalem de Estrées, ad manus quidem meas necdum pervenit; cæterùm cum nullius nec in Regem, nec in Deum admissæ culpæ mihi conscius sim, quidquid in eo continetur, si verum sit, pudori non erit; si falsum, imposturæ convincam, nec, ut spero, Deus unquam permittet, ut qui me cognoscunt, aliquid meis moribus indignum credant, præsertim cum candor sinceritasque mearum intentionum neminem lateat. Ego Romam adij iussu Episcopi mei, cujus merita pietasque non vobis tantùm, sed etiam Ecclesiæ toti perspecta sunt. Ego primas negotij & industriæ meæ partes à precibus incepti, quas Sanctitati Suae demississimè obtuli, rogaviq; interpositâ Eminentissimi Cardinalis Cybi operâ, dignaretur apud Christianissimum Regem secretam privatamque Episcopo meo audientiam obtinere; id enim mihi Episcopus imperaverat, sperabatque, si modò rationes ac momenta causæ suæ exponere posset, se justissimo Principi facile persuasurum, non solùm ut institutum suum probaret, verùm etiam promoveret. Præclara sunt utique hæc innocentia meæ testimonia, nec credo suppetere vobis, quæ illis opponatis. Perrexi deinceps approbationem Constitutionum urgere, quas idem Episcopus meus ad Capitulum dederat, obtinuiq; à Summo Pontifice. Exhibui quoque epistolas Eidem Pontifici ab Episcopo, Capituloque Cathedrali datas, quibus Ecclesiæ suæ libertatem commendabant; ac tandem nihil

llia
delicata
Ca III
230

seu voce, seu scripto omisi, quod ad plenè informandam Sanctitatem Suam de iustitia causæ, quam defendendam susceperam, necessarium crederem. Hæc cum ita habeant, quid tandem illud est, quod, uti dicitis, Conscientiæ mihi ducere, pœnâsque dare oporteat? an fortè quod Confessariorum meorum consilijs Suæque Sanctitatis Voluntari non sim plenè obsecutus? id enim mihi exprobratis. Cæterùm quàm hæc querela nullo fundamento nitatur, Vobis perspectissimum est; ego enim quamdiu Romæ moratus sum, duobus tantùm Confessarijs usus sum. Primus fuit R. P. Mariana Sosini, Congregationis Oratorij S. Philippi, cuius memoria non Romæ tantùm, sed in toto Orbe Christiano magnæ venerationi est, constat enim sanctitate florentem vivis excessisse; huic ego, donec consilio Medicorum Carbonianum Româ migravit, arcana commisi Conscientiæ meæ, & ex adjuncto litterarum exemplarij, quas ad me dedit, perspicere licebit, quam ille de me opinionem habuerit: planè cum in laudes meas effundatur, maluissem eas epistolas celari, nisi ut illas proderem calumniæ effecissent, quas in me coniecistis; ergo, ut verbis Apostoli utar, *factus sum inspiens, sed vos me cœgisti*. Alter meorum Confessariorum est R. Pater Ascanius Belluzius, Eiusdem Congregationis Superior, cuius laudibus recensendis consulto abstinco, quippe adhuc viventis: quid ille de me sentiat, interrogari potest audiri que: *Ætatem enim habet, ipse loquatur*. Ipsi quoque Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Apamiensis operâ in expianda Conscientia quindecim ferè annos usus fui, dum in Apamiensi Diœcesi commorarer; & postquam me Romam contuli, non cessavit, quâ erat charitate, me litteris instruere, imò datis epistolis ad quamplurimos, eosque Primores, ipsiùm

que summum pontificem meam agendi rationem quam plurimum comprobavit; quæ omnia argumento sunt, nihil contra illius intentiones à me peractum esse, præsertim si ea quoque ad animum reducat, quæ vos ipsi Eius jussu ad me scripsistis. Sanè multò maiori jure opponere ego vobis possem, quod vos ipsi viro fide dignissimo confessi estis, vid. & Romæ à noto quodam Pœnitentiario, & in Æde Lauretana ab alio Societatis Jesu vehementer improbatam esse mutationem, quam tunc temporis meditabamini, quæque animum, & Conscientiam vestram adeò agitavit, ut & somnus à vobis fugeret. & tristissimæ imagines oculis oberrarent, adeò ut horrore metuque percellerentur, qui vobiscum sermonem miscebant, & ego alijsque quamplures amici vestri id in vobis notaremus; hæc inquam, cum perspectum esset, vobis obijci posse, maluistis prævenire, justasque querelas injustis calumnijs occupare.

Sed nec sufficit vobis, ut me Aulæ Regiæque Christianissimo odiosum redderetis suspectumque, nisi insuper idem Romæ, & apud Summum Pontificem moliremini, Cujus Voluntati dicitis me adversatum, & defectum obsequij eo prætextu velasse, quòd non satis de rerum veritate Pontifici constaret. Cæterum voluntatem Romani Pontificis quod attinet (quam me dicitis nullius pensi habuisse) adeò ex Brevibus ab Eodem Pontifice datis clarum est, ut omnibus constare possit, me ab ea nihil penitus deflexisse; & ego sæpiùs de hac causa cum Sanctitate Sua locutus sum, estque tanti momenti, ut ne diem quidem Romæ me passa esset consistere, si contra illius intentiones aliquid moliri attentassem. Quod si illud velitis, Pontificem meis sermonibus eò adductum esse, ut sententiam mutaret, seque ad alia consilia induci pateretur, magnam profectò injuriam

riam ei facitis, perinde ac si tantus Pontifex ex meis nutibus arbitrioque penderet, nec quid facto opus sit, intelligere posset, nisi me suggerente. Illud verum est, quod, cum causa Regaliæ sit admodum recondita, multisque etiam Gallicanorum Scriptorum ignota, necessarium fuisse, ut Sanctitas quoque Sua dignaretur in ejus fundamenta exactè inquirere, quod etiam abundè fecit. Cum ergo hæc ita se habeant, ingenuè fateor, non posse me non vehementer admirari indignarique malignitati vestræ, quæ totam epistolam aspersistis, & semel iterumque repetere: *Amice ad quid scripsisti?*

Causam Domini Serris quod attinet, ipse rationem eorum reddet, quæ inter utrumque vestrum Florentiæ contigerunt; cumque sit vir æqui bonique amans, ingenuè veritatem fatebitur. Illud verum est, me nunquam induci potuisse, ut illis quæ scribitis fidem adhiberem, vid. eum vobis minas intentasse, ac coegisse, ut litteras ad R. P. Fabrii scriberetis, easque, quas Pater de la Chaise ad vos dederat, vi abstulisse: quis enim sibi persuadeat, hominem exremem nullisque clientelis subnixum in urbe tam grandi, & contra hominem tam robustum viridumque, ac viribus præpollentem hæc ausum esse? Planè hoc facinus haud dissimile videri possit pugnae, quam David suscepit cum Goliatho Gigante, & quisquis utrumque Vestrum cognoscit, fabulam omnino narrari opinabitur. Quod si, ut scribitis, ingenuè professus est, vereri se, ne in Vestrum interitum rueretis, profectò à veritate non aberravit; quis enim credat Vobis animum fore ad Vestras culpas dolènter palàm faciendos, excipiendisque poenas, quas propterea meriti estis, quando horrore paupertatis aliarumque adversitatum, quæ gloriosæ Vobis fuissent, tam indignè perpetrastis?

Cau-

Causam Ecclesiæ Apamiensis quod attinet, & cui Vos malè ominamini, ea talis est, ut omnino sperem, feliciter absolutum iri, nec minori Ecclesiæ, quàm Regni ipsius bono. Denique si Dominus Serri veritus est, ne nostro in Gallias adventu vita mea periclitaretur, id illius tribuo charitati; alioqui tam mihi Principis justitia perspecta est, ut vanum credam, qui ob fideliter expleta Episcopi sui mandata poenas ab æquissimo Rege verèatur. Quod si præter Christianissimi Regis intentionem ob expletas honestatis, & Conscientiæ meæ partes adversi aliquid eveniat mihi, spero cum Divina gratia, me id æquo hilarique animo laturum: nec tam me, quàm illos potius miseros fore, qui earum calamitatum auctores mihi fuerint; nam ut bene S. Cyprianus monet *epistolâ 55. Cum nocentes innocentibus injuriam faciunt, illi patiuntur injuriam, qui facere se credunt.* Et S. Hieronymus *epist. 68.. Non qui patitur injuriam, sed qui facit, apud Christianos miser est.*

Hæc sunt quæ ad epistolas Vestras respondenda duxi, quibus illud adjungo, me numquam cessaturum pro salute Vestra memoriam ad aras facere, imò multò jam ardentius quàm olim facturum, quippe verbis Salvatoris nostri impulsus, pronuntians: *Orate pro calumniantibus Vos; & exemplo quoque Regij Prophetæ excitatum, qui cum calumnijs suorum impeteretur, tantò impensius orabat: Locuti sunt, inquit, adversum me linguâ dolosâ, & sermonibus odij circumdederunt me, pro eo, ut me diligere, detrahant mihi, ego autem orabam.* Ergo à Divina misericordia easdem Vobis, quas mihi gratias postulabo, atque utinam preces meas, quamvis ab indigno profusas, ille exaudire dignetur, quem admodum servi sui Davidis exaudivit: *Ego autem, inquit, orabam*

orabam, & exaudisti me DEUS meus. Id Ecclesia hodierno
Officio precatur, & ego ex toto corde persevero.

Romæ 2. April. 1681.

Humillimus & addictissimus Servus

Dorat Archipresbyter Aquensis.

Documentum XLVIII.

Reverendi Patris Mariana Socini Presbyteri
Oratorij JESU CHRISTI in Urbe, ad Illustrissimum ac
Reverendissimum Episcopum Apamiensem.

29. Octob. 1679.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

MAgnum obtigisse mihi lucrum existimo, ex eo, quod
mihi datum sit familiariter atque intimè agnoscere
Dominum Archipresbyterum Aquensem, Sacerdotem,
liceat dicere, dignè Evangelio Christi conversantem, ope-
rarium inconfusibilem, & quidem in illo & Illustrissimam
Dominationem Vestram agnovi, tanquam in Discipulo
Magistrum, tanquam in filio Patrem, utinam dum utrum-
que ex corde veneror, utriusque etiam virtutes sedulò
imitari incipiam.

Non sine magno ac justo animi mœrore audivi motum
magnum, qui factus est in mari, ita ut navicula Vestrae Pa-
storali Sollicitudini credita, jam videatur operiri fluctibus,
& jam clamandum superfit: *Domine salva nos, perimus.*
Magna quidem procella, magnum periculum: sed major
ille, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, qui pro
Sanctissimo. Suo beneplacito imperat ventis & mari. & sic
eran-